+ Q 29 10:bris 1623. Ao

Serenissime, Potentissime, et Inuictissime Rex*

321

1183

Si quod seruitij genus Regia Maiestate dignum posset præstare meæ conditionis monasticæ tenuitas, totum equidem sibi illud iustè vendicaret insignis illa, et celebris de communi Christianitatis hoste victoria, quam per inuictissima potentissimæ Maj.tis V. arma, toti Christiano orbi contulit Ops Supercælestis Imperator. Sed quid agerent pauperes isti Custodes, quas super muros Ciuitatis suæ constituit Supremus ille omnium Dominus, quam vt die, ac nocte laudent nomen sanctum eius, et confiteantur illi, quia non in multitudine fortitudinis belli: sed quòd in Deo inuictissima V.Mtas fecerit virtutem, et ad nihilum deduxerit ingentem immanissimi hostis exercitum, Poloniam, et totam Ecclesiam vastare, et duro seruitutis iugo subdere molientem? Ob hanc cum Christi fidelibus communem lætitiã, communis partter ab omnibus Regiæ Mtati V. debetur congratulatio. At de nobis Cistertiensibus singularis sacræ Mtis V. Regiæ in nostros Confratres et totum ordinem pietas, singularem cultum, et obseruantiam exigit religiosam. Multo verò magis specialem à me, et nostris Claræuallensibus beatmi Bernardi filijs, expostulant animorum gratitudinem, specialis suæ Regiæ beneuolentiæ, et protectionis, in fauorem Rdi Confratris, et Coabbatis Oliuensis per vniuersam Poloniam Vicarij; et nostræ speciosæ, odoriferæ, et fructiferæ Oliuæ, exhibita insignia. Pro tot, et tantis meritorum titulis, quot possumus sacrificia, preces, suffragia, et, si quæ alia inter nos sunt, pietatis exercitia pro Sermæ Mte V. pro Serenissima Regina, omni sua Sobole, et toto Regno, Regi immortali ad sacra beatissimi Patris nostri Bernardi Conditoria offerimus; Nosqz, pr omnæuum oblaturos pollicemur. Nos pariter, ac omnia nra Monasteria, sed singulariter nostram Oliuam, Regiæ sua clementiæ patrocinio deuotissimè cum omni demissione deferimus. Sed quoniam liberalis ingenij est, cui multum debeas, eidem plurimum velle debere: cum cæperim loqui ad Dnum meum Regem; audebo adhuc eidem in Christi visceribus humillimè supplicare, vt qui toto cordis sui conatu Sctæ Ecclesiæ, et diuini cultus promouet successum, in eo feruor iste maximè eniteat; quatenus Monasterijs nostris alium Abbatem præfici non patiatur, nisi quem diuturnus religiosæ conuersationis

vsus verbo, et exemplo saluti monachorum, et suo Monasterio profuturum comprobauerit. Non mediocrem inde speret Regia M^tas V. a Rege Rege Maximo benedictionem, et gratiam, Christianæ religionis augmentum, Regniqz sui decorem, et ornamentum: Et nos eumdem, per quem Reges regnant, supplices inuocabimus, vt regiam M^tem V. diutissime Regno Polon. et toti Ecclesiæ seruet incolumem; prolem crescere faciat: Regnum, et Dominia conseruet, & amplificet: cunctis hostibus suis terrorem inferat, ac de omnibus illis gloriosam semper concedat victoriam, tandemqz pro laboribus suis gloriâ coronet æternâ. E Claraualle 29. Decẽbris 1623.

Sacræ Regiæ M^tis V.

Humillimus, et deuotissimus seruus, et Orator.

Fr. Dionisius dictus Clarenal Abbas

1035

29. Sept. 1872. Lamprecht.